



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XLI. Gregorii Papae I. Ad Cyprianvm Diaconvm Per Siciliam. De
Pualo, & quodam Iudaeo malefico.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

ex quocumque monasterio ad clericatus officium vel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat vterius, ut diximus, potestatem, ne monasteria huius occasio-
nis velamine ea quæ prohibemus sustinere onera compel-
lantur. Hæc itaque omnia vigilanti cura emendare iam se-
cundo commonita sanctitas vestra non differat, ne si post
hæc negligentes vos esse, quod non credimus, senserimus,
aliter monasteriorum quieti prospicere compellamur.
Nam vobis notum sit, quia tantæ necessitatí seruorum
Dei congregationem amplius subiacere non patimur. Ne
vero aliqua vobis excusatio de monachis oriatur, perso-
nam huc quam præuiderit utilem ex opere fraternitas ve-
stra transmittat, & ei nos, qui cum eo ad vos venire pos-
sint, monachos deputabimus, quos, ut prospexeritis, de-
beatis in monasteriis ordinare, si tamen talia loca sunt, ut
sit vnde ibi subsistere valeant.

EPISTOLA XLI.

GREGORII PAPÆ I.

AD CYPRIANVM DIACONVM PER SICILIAM.

De Paula, & quodam Iudæo malefico.

Gregorius Cypriano diacono per Siciliam.

QVESTA nobis est Paula præsentium latrix, quemdam
Theodorum ex Iudæo sibi nimis frustra inimicum
existere, intantum ut, quod dici nefas est, iniuitate male-
ficiorum eam lædere molieratur, atque ab hominibus eccl-
esiæ Messanensis eumdem Theodorum contra hoc facinus
fortius instigari. Dilectio igitur tua studeat, ut nullus ec-
clesiasticorum prædictæ mulieri in hac causa tentet aduer-
sus existere. Sed ad inuestigandum hoc ipse, ut potueris,
esto sollicitus. Et si suprascriptus Theodus tantæ iniqui-
tati obnoxius esse patuerit, ita hoc districta vltione per
hos quorum interest facias vindicari, ut & Deus placari
possit, & aliis exemplum coercitionis sit.